

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

SEBASTIANVS CASTELLIO

Christianis Lectoribus Sal.

Hos Dialogos, fratres charissimi, composuimus, ut pueri haberent, unde eadem opera & mores Christianos, & orationem Latinam discerent. Itaque eorum ruditati in primo Libro seruiuimus, sermone facillimo, eoque minus eleganti, & tamen Latino utentes; & pueris quasi præmansum cibum in os inserentes. In cæteris jam elegantius loqui cœpimus. Quod autem Dei nomen JOVA Hebræorum usurpauimus, quod nulum Dei proprium nomen Latine extat (nisi forte Jupiter, sed id ut pollutum omittamus) id etsi principio videbitur fortasse durius, tamen usu mollescet; & quod insuetum aures radet, idem usitatum demulcebit. Valete.



LANDES
BIBLIOTHEK
OLDENBURG



D. VALENT. ALBERTI,
LECTORI BENEVOLO

S. P. DICIT.

Inter varia, quæ de Autore horum Colloquiorum
lata sunt publiceque descripta extant iudicia,
moverunt me, ad præfandum aliquid, potissimum ea,
quibus Religio ejus sub censuram vocatur, examina-
tur, damnatur. Illis quidem Ecclesiis, quæ titu-
lum Reformatarum præferunt, externa eum pro-
fessione additum fuisse, nullum est dubium: Pela-
gianismi tamen, Anabaptismi, Socinismi & Armi-
nianismi reus agitur, si non peragitur, ubi iis ipsis,
quorum consanguineus in fide haberi voluit. Ex-
presse Beza in Vita Calvinii: Basilæ, inquit, Ca-
stellio, bonus ille & simplex homo, etli clancu-
lum fere agebat omnia, tamen non obscure Pe-
lagianismum tuebatur. Quidam Socinianum;
quidam Anabaptistam fuisse asserunt: teste Tana-
quillo Fabro in Not. ad Scaligeriana prima. Imo
prima Arminianismi semina in his, quæ denuo jam
eduntur, Colloquiis sacris videtur jecisse; adno-
tante Hofmanno in Lex T. II. Ut taceam, quæ
contra versionem ejus Biblicam, Latinam pariter
atque Gallicam, haud temere a pluribus monita sunt;
inprimis, quod Canticum Salomonis, tanquam
impuram atque obscenam cantionem ex Canone
expungi jussit, & repugnantes Ministros atrocis-
simis convitiis prosciderit; Beza in Calvinii Vita.
Horum omnium non potui non meminisse, cum ro-
garer a Bibliopola, Viro Optimo, cujus cura &
sumptibus hæc omnia jam sunt, ut hederam vino
iterum iterumque vendibili (nam aliquoties in lucem

❧ ❧ ❧

publicam missa jam fuerunt hæc colloquia, præfegerem, idque meo qualicumque calculo approbarem & commendarem; ideoque in primis inter revidendum utroque oculo ad ea, quæ hæterodoxiam sapere aut redolere possent, respexi, quam tamen nullibi, quod bona fide testor, in hoc quidem scripto ejus observavi; Nisi quod semel inter Notas, quæ margini adjecta sunt, ipsique Castellioni in Editione Tubingensi tribuuntur, vestigia Decreti absoluti deprehenderim, deleverimque ea, una cum paucis aliis, quæ vel superflua, vel non satis apta viderentur esse; Subjectis aut adjectis alibi a me, quæ rectiora aut commodiora erant. Dicitio alias, quæ pure latina est, commendat seipsam, & ab aliis passim deprædicatur. Nisi vero per excessum, ut loquuntur, peccavit, quando fanum quam templum, genium quam Angelum &c. semper dicere maluit: Quæ tamen ejus in Genium lingue latinæ superstitio venia non indigna est, & a doctis facile corrigi potest. Puritati vero vocum pondus ab argumento, quod e S. Scriptura unice depromptum est, accedit longe maximum: ut & ego hunc Libellum Juventuti Scholasticæ ejusque Doctoribus velim esse commendatissimum. Quod si enim

omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci;
quid censendum erit de Scriptore Libroque ejus, in
quo Pietas utilitati conjuncta est, illaque eadem
opera cum Latinitate instillatur? B. V.
Lips. Cal. Mart. A. 1690.

EPITA-

EPITAPHIA SCRIPTA

PAVLO CHERLERO, *Elsterburgensi,*
Studioſo,

In obitum clariffimi, optimi, doctiffimique viri,
vera pietate & humanitate præſtantis

D. SEBAST. CASTELLIONIS,

Præceptoris fui obſervandi, ſemperque chariffimi,
qui pie & ſanctè in Domino obdormivit
Baſileæ A. C. 1563. die 29 Dec.

*Iſte locus, niveo ſubſtratus marmore, terræ
Viſcera defuncti CASTELLIONIS habet.*

*Pars animæ melior patrio ſucceſſit Olympo,
Cumque Deo, cœli regna beata colit:*

*Non fuit excelsa prognatus ſtirpe parentum:
Non longum a celebri ſanguine ſtemma tulit.*

*Nec vel divitias magnas, tectumque ſuperbum,
Nec potuit fundos commemorare ſuos.*

*Ingenio valuit tantum, pietate, fideque:
Et mera paupertas, quod fuit, omne fuit.*

*Hac potuit ſeſe celeberrum jaclare per orbem:
Nam patrimonii res fuit iſta loco.*

*Pauper erat natus, primis adolevit ab annis
Pauper, & extremum pauper ad uſque diem.*

*Sed tamen in Domini verbo, Chriſtique favore,
Quas coluit, magnas dives habebat opes.*

*Quas non ærugo radit, nec tinea rodit
Dentibus: atque nihil fur ubi juris habet.*

*Ingenuas artes tenero ſtudioſus ab ævo
Imbibit, & Clariis ora rigavit aquis.*

*Atque ipſum juvenem, quamvis Academia nulla
Viderit optato condideritque ſinu:*

*Sic tamen Aonias alte caput ipſe per artes
Extulit, ut toto clarus in orbe foret.*